

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Disceptatio de matrimoniis haeticorum [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

DISCEPTATIO  
De  
MATRIMONIIS

HÆRETICORVM

Proposita & resoluta

à

F. BONAGRATIA HABSENSI  
Alfata Franciscano Capucino.

Approbatio D. Ordinarij  
Constant.

**V**T ea, quæ de *Matrimonij Hæreticorum*  
ingeniosissimè & doctissimè ab Adm.  
Reuerendo Patre Auctore adferuntur &  
conscripta apparent, imprimi possint, au-  
thoritate qua fungimur ordinariâ potesta-  
tem damus.

Vicarius Generalis

HERMANN HÄRRENI  
Hans-Franziskus-Caplan

DE MATRIMONIIS  
Hæreticorum.



Vanti momenti sit ista  
quæstio, manifestat ca-  
sus, quo Hæretici con-  
tra SS. Canones, absque  
præsentiâ legitimi Paro-  
chi; cum impedimento  
frequenter dirimente, quandoq; post vnum  
& alterum Diuortium, viuente adhuc vna  
vel altera quoque priùs ductâ coniuge, alij  
matrimonio iuncti conuertuntur ad fidem  
Catholicam. *Quid faciendum*, inquit em-  
phaticè magni apud PP. Societatis Iesu no-  
minis Theologus P. Simon Felix in *Thesibus*  
*de Iure Personali, Friburgi Brisg. Anno 1632.*  
*disputatis, Thesi 33. & 34. in conuersione Hære-*  
*ticorum, cum in Consistorijs eorum ( vt vocant*  
*Rabularum suorum conuenticula ) passim*  
*priora Matrimonia tanquàm irrita rescindan-*  
*tur & posteriora permittantur? Quid fiet tali-*  
*bus Coniugibus ad fidem conuersis? an disjungã*  
*debent post 100 annos cohabitationis? post 100*  
*proles susceptas? an redeundum ad priores con-*  
*iuges alijs nuptijs implicatas? quanta hinc per-*  
*turbatio Reipublica? quot huius incommodã*  
*metu à conuersione absterrebuntur? nec remo-*  
*dio dispensationis Papalis locus est, cum sit im-*  
*pedimentum*

A 2

pedimentum

pedimentum juris naturalis viuo legitimo coniuge alteri nubere. Nec etiam vlla ratio priora matrimonia tanquam nulla cassandi probabilis est &c. cum ex vno diuortio tot ac tantæ difficultates pullulent, quot, putas, accrescent, si paulò diligentius rem ab onno discutias? Rectè Urbanus ab Ascens. *Theol. Mor. tr. 3. tit. 15. de Matr. c. 6.* Hæreticos, quantum quoad meritorem participationem, propter excommunicationem & infidelitatem non sint, esse tamen quoad obligationem de corpore Ecclesiæ, pronunciat; sed hæc cum tot conditiones legitimo matrimonio, quas illi planè contemptui habent, præscribat, quot eorum matrimonia condemnat? Caluinus *l. 4. Instit. c. 19. §. vlt.* enumerans leges Pontificum Romanorum de Matrimonio (vt ipse loquitur) *vel in Deum impias vel in homines iniquissimas*, primo loco istam ponit: *Quales sunt, inquit, vt coniugia inter adolescentulas, parentum iniussu contracta, firma, rataque sint.* De quo aded non dubitant Catholici DD. ea Matrimonia firma ac rata esse, vt neque vnquam inter impedimenta matrimonij numerauerint (si Bellarmino credimus *l. 1. de Matr. c. 19.* contrarium tenente Basil. Pontio *de Matr. l. 2. c. 1.* vbi matrimonia filij familias sine parentum consensu fuisse irrita iure ve-

*Hereticorum.*

teri tam Ecclesiastico quàm civili, probat.) defectum consensus paterni. Iure nouo id certissimum est, definitum in Conc. Trid. sess. 24. in Decreto de Matr. clarescit vbi his expressis verbis: SS. Synodus damnat eos, qui falso affirmant matrimonia à suis familias sine consensu parentum contracta irrita esse & parentes ea rata vel irrita facere posse. Caluino concordat Lutherus ponendo pro impedimento defectum consensus paterni, & contra reiiciendo ea quæ statuit Ecclesia. Duo de viginti (ait in serm. de Matrim.) causas in suo iure effinxit Papa, quibus omnibus matrimonium vel dissipet vel impediatur, quas tamen serè omnes & reiicio & condemno. Hac ille, quem Bellarminus loco cit. c. 18. testatur ex impedimentis dirimentibus quinque tantum (cæteris omnibus reiectis) simpliciter admittere scilicet errorem, conditionem, vim seu coactionem, impotentiam reddendi debitum conjugale & ligamen. Duo alia admittere ex parte, non simpliciter, scilicet consanguinitatem & affinitatem. In gradibus affinitatis & consanguinitatis, ait Lutherus de Captiu. Babyl. c. de Matrimonio. nulla alia attendi debent & possunt, quàm quæ in Leuit. c. 18. scripta sunt (puta gradum primum affinitatis, consanguinitatis autem gradum primum & secundum) quæ & seruari debent, sed

hoc non contentus concessit etiam Confo-  
brinos simul iungi matrimonio. *serm. de*  
*Matrim.* & vt quis fratris filiam ducat. *ad c.*  
*xi. Genes.* quin etiam *ibid. ad c. 36.* probat &  
confirmat matrimonium quod quidam cū  
propria filia, quam ex propria matre incā-  
sto connubio, licet inscius, susceperat, con-  
traxit. Circa ligamen aded scrupulosus non  
erat Castissimus Lutherus, vt *cit. serm. de*  
*Matrim.* repudium concesserit & aliam du-  
cere, non solum ob causam fornicationis,  
verum etiam si renuat vxor iterum ac tertio  
admonita debitum coniugale reddere. Et  
*ad 1. Cor. c. 7.* *Quid*si, ait, *secundum coniugi-*  
*um non opportunē caderet, sed rursus maritus*  
*vxorem vel impiē viuere cogeret vel alter ab al-*  
*tero fugeret, an liceret viro toties vxorem duce-*  
*re, vnde forsā decem vel plures (vxores) ad-*  
*huc viuentes haberet? rursus licebitne vxori*  
*decem vel plures, qui iam profugerunt, habere*  
*maritos? Respondeo, D. Paulo non possumus os*  
*obstruere, neque cum illis luctari, qui eius do-*  
*ctrina, quoties necesse fuerit, vti volunt. Verba*  
*eius aperta sunt, fratrem vel sororem liberos es-*  
*se lege coniugij, si alter discesserit, vel cum hoc*  
*habicare non consenserint. Neque semel tantum*  
*vt hoc fiat, dicit, sed liberum relinquit, vt quo-*  
*ties res postulat, vel pergat vel consistat. Nemi-*  
*quem enim in incontinentia crimen coniectum*  
*vult,*

vult, vt eo captus teneatur aliena reuerentis  
 vel malitia causa. Hæc ille, referente Iod.  
 Coccio in *Thes. Cathol.* l. 9. de Matr. a. 3.  
 Quæ cum ita se habeant, quis non suspecta  
 illorum Matrimonia teneat? Nullo autem  
 vel dubio existente coniugio quanta exin-  
 de consequuntur mala, quanta utroque Iu-  
 re Canonico & Ciuili prolem ita progenitã  
 damna? Incapacitates officiorum, dignita-  
 tum, bonorum Ecclesiasticorũ ac ciuiliũ.  
 Atque hanc quidem aded grauem ac tantis  
 difficultatibus inuolutam materiam tanto  
 minus ignorari licet, quanto frequentiora  
 nobis in medio Nationis peruersæ commo-  
 rantibus ob oculos & aures versantur ex-  
 empla, quibus implicitos cum non rarò  
 Bonus Pastor Christus IESVS ad suum re-  
 uocet ouile, quos iuuare Charitas vrget,  
 operæ pretium duxi paucis in vnũ collige-  
 re, quod sparsim circa hæc vel Ecclesia de-  
 cidit, vel Doctores (etsi paucos istorum,  
 qui rem istã ex professo tractauerunt, com-  
 pererim) scripto seu typo tradiderint.

§. I. Ecclesiæ Definitiones  
 circa Matrimonia  
 Hæreticorum.

**D**ifficultates aduertimus, audiamus nũc  
 Ecclesiæ Definitiones, in primis in S.  
 Trident.



Trident. Synodo factas, quæ cum animad-  
 verteret occasione matrimonij clam cele-  
 brati, quod ex defectu testium probari non  
 poterat, quosdam relicta priori conjugæ cum  
 alia palam inite nuptias atque sic in perpe-  
 tuo vivere adulterio, matrimonia clandesti-  
 na iam antehac severe prohibita 30. q. 5. Et  
 c. 3. de Clandest. de spons. penitus irritavit sess.  
 24. c. 1. De Reform. Matr. his verbis: *Qui aliter  
 quam præſente Parocho vel alio Sacerdote de  
 ipſius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus  
 vel tribus testibus Matrimonium contrahere at-  
 tentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum  
 omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contra-  
 ctus irritos & nullos esse decernit, prout eos præ-  
 ſenti Decreto irritos facit & annullat. Ita S.  
 Synodus mandans ibid. Decretum hoc po-  
 pulo publicari ac explicari in singulis sua-  
 rum Diœcesum Parochialibus Ecclesijs,  
 aſio primo sæpiſſimè, deinde quoties expe-  
 dire viderint. Decernit inſuper hoc Decretum  
 robur ſuū aliter nõ habere, niſi poſt 30. dies  
 à ſui publicatione in ſuis Parochijs, adeo vt  
 nullatenus obliget in locis, vbi publicatum  
 nunquam fuit, prout expreſſius declaravit  
 S. Congr. Concilij Anno 1603, Epifcopo  
 Tricarienſi Nuncio Apoſtolico Superioris  
 & Inferioris Germaniæ, vt refert Veruivs  
 in *Pæſtorali Miſſionar. 11. 13. de Matr. 6, 1. Tã-  
 bur,**



ignoretur vbinam sit, vel eodem metu à Diocesi  
absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus validū  
est matrimonium contractum absque formā, ad-  
hibitis tamen, vt dictum est, duobus testibus. Ad  
casum porro specialem respondens Congregatio:  
Cum secundū ea, inquit, quæ proponuntur,  
Matrimonium fuerit contractum, in Parochia,  
vbi erat publicatum dictum Decretum, & exta-  
ret in Diocesi Antuerpiensi, cuius erat Parochia,  
Vicarius, quia iuxta Conclij Decretum poterat  
providere, vtique huiusmodi Matrimonium abs-  
que formā contractum esse nullum. Hæcenus S.  
Congregatio. Harum Definitionum Apo-  
stolicarum obseruantia si tam expedita esset  
& facilis, quā sunt sapientissimè constituta,  
vix locus esset controuersæ, quæ non  
exinde resolui posset, vt tamen Infirmi-  
tatis humanæ grauitas aded inualuit, quæ  
salubres præscriptiones vel non admittat,  
vel amplius in sui perniciem abutatur, ex  
quo moti commiseratione Doctores, dum  
mitiora consilia ineunt, in discrepantes quo-  
que abeunt sensus. Referam igitur conse-  
quenter 1. in quibus consentiant, tum verò  
dissentiant.

## §. 2. Doctorū consensus circa Hæreticorum coniugia.

Conueniunt 1. valida esse Matrimonia  
quando contrahuntur ab incolis illarū  
Regio-

Regionum ubi non est publicatum, aut ubi nunquam fuit receptum: partim quia Synodus non vult suum Decretum habere robur, nisi post 30. dies à die publicationis: partim quia lex nunquam recepta non obligat. Videtur idcirco in Declaratione 4. Cōgreg. notanter additum: *tanquam Decretis Concilij obseruatum.* Circa quæ verba P. Marchantius in *Resolue. notab. de Sacram. Marr. casu 8. Resp. 1.* ait satis non esse si velut ex traditione aliqua vel consuetudine obseruetur, sed quod obseruetur aut obseruatum fuerit in vim Decreti Cōcilij, siue vt S. Cōgr. loquitur, tanquam Decretum Concilij. 2. Cum ex communiore sententia cæteroqui sufficiat Leges & Constitutiones alias publicari Romæ, ad valorem tamen & obligationem huius Decreti satis non est, nisi non solum in Curia vel etiam Diœcesi, verum & in ipsa Parochia publicatum & obseruatum fuerit, iuxta Declar. 4. rationem ex B. Pontio de *Imped. Marr. c. 26. §. 2.* reddit Barbo. in *Trid. Sess. 24. c. 1. n. 169.* dicens hoc non nasci ex eo, quod lex ad sui obligationem exigat, vt acceptetur à populo, sed ex speciali dispositione Ecclesiæ in hoc casu, quæ hanc legem obligare noluit, nisi post promulgationem in singulis Parochijs factam trigintâ que à publicatione diebus elapsis.

3. Fideles

3. Fideles, quibus legitimè facta fuit publicatio in tantum obligari, vt aliter celebrata ipsorum matrimonia nullius sint momenti, quamuis ipsorum aliqui ignorent requiri hanc solemnitatem, Licet enim ignorantia inuincibilis excusare possit à peccato, non tamen inhabiles ad contrahendum potest habiles facere, sicut ignorantia consanguinitatis aut alterius cuiuscunque impedimenti dirimentis nihil prodest sic contrahentibus ad valorem Matrimonij, sed tantum excusare potest, ne sic contrahendo peccent. Addit Mocquetius in *disput. de Clādest. Nupt. c. 6. q. 1. n. 4.* obligare illos in omni euentu & quacunq; necessitate, contra Sotū & Graff. putantes in articulo mortis, quando copia Parochi ac testium haberi non potest, ex æquitate & epichæzia, non obstante Decreto Trid. valere Matrimoniu, si quis v. g. lethaliter habens concubinam vt filios reddat legitimos & paret faciliorem viam ad salutem clandestinè cum illa contrahit, sed refutantur communiter, quia inhabilitatem materiz Sacramenti nullus casus necessitatis supplet. P. Veriuijs in *Pastorali Mis. tr. 13. de Matr. a. 3.* contra P. Amicum probat, nequidem valere Matrimonium, si Princeps aliquis habens ex concubina filium morti proximus clam contrahat,

hat, & si absque legitimo filio moriatur, totus eius Principatus cum summa fidei Catholicæ iactura deuoluendus esset ad peruersissimum hæredem hæreticum.

Conueniunt etiam 4. communiter circa quartam declarat. vbi constat Decretum Concilij esse publicatum vel aliquo tempore in Parochia tanquàm Decretum Concilij obseruatum; sed Parochialis Ecclesia (vt pote vacans) proprio Parocho caret: itidem Cathedralis caret Episcopo atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque præsentia Parochi seruata tamen in eo in quo potest, formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

5. Similiter concordant in Declar. 5. Si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbi nam sit: vel si eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, valere matrimonium contractum absque forma Concilij, adhibitis tamen, vt dictum est, duobus testibus. P. Veriuijs l. c. a. 2. ait, non esse tutum accessum ad Parochum, nõ solum quia ipsi non est tutum comparere, sed

sed quia non est tutum sponsæ vel sponse qui cogitur contrahere, Sacerdotem seu Parochum quærere vt contrahant in ipsius præsentia. Vel si prius malè aliter contraxerint, contractum renouare coram ipso alteruter recuset, & interim cogantur per Iustitiã sub pœna carceris conuiuere. Idem docet Sylu, p. 3. q. 45. a. 4. Si Parochus tolleretur quidem ab hæreticis sed ea conditione, vt sacramenta non administret, idq; tam administranti quàm suscipienti prohibitum sit sub pœna mortis, exilij vel grauis multæ. Si tamen Parochus aut alius habens aliunde facultatem assistendi Matrimonijs sese offerat ad assistendum cum dicto periculo, qui absque graui suo periculo eum accerere vel adire possunt, hos ait inualidè contrahere, nisi seruato Concilij Decreto.

6. Incolas vnius loci, in quo promulgatum & acceptatũ est Concilium, si aliò migrent, vbi non est acceptatum, posse ibi validè contrahere, seruata, quoad fieri potest, antiquã lege Ecclesiastica, siue illac transeant, siue domicilium collocauerint. Econtra Incolas illius loci, in quo non est acceptatum Trid. teneri matrimoniũ contrahere coram Parocho & testibus, si diuertat ad locum, in quo est receptum. Vid.

B. Pon-

B. Pontius de Matr. l. 5. c. 9. n. 3. vbi dicit legem illam affixam esse territorio tantum, in quo est promulgatum Trid. vt ibidem decernitur, & non in alio, & similiter etiam inhabilitas: quare in eo loco, in quo promulgatum non est, non potest ea inhabilitas consistere. Decisionum S. Congregationis ided factarum meminit Barbos. in Trid. sess. 24. c. 1. 171. & 172.

7. Denique conueniunt hæresin non esse impedimentum dirimens matrimonium, sicut est Infidelitas; vt præter alios communiter, præclare tradit D. Thom. 4. d. 39. q. 1. ad 8. vbi: *Matrimonium, inquit, Sacramentum est, & ided quantum pertinet ad necessitatē Sacramenti requirit paritatē quantum ad Sacramentū fidei, scilicet Baptismum, magis quàm quantum ad interiorem fidem, vnde etiã hoc impedimentum non dicitur: Disparitas fidei, sed disparitas cultûs, qui respicit exterius serui- zium &c.* Hinc etiam Conc. Trid. Sess. 24. de Sacr. Matr. can. 5. anathema dicit ei, qui dixerit propter hæresin dissolui posse Matrimonij vinculum, vtrū verò licitum sit matrimonium hæretici cum Catholica, vel contra, Catholici cum hæretica, disputat fusè Pontius in append. ad tr. de Matrim. De cautelis in hoc casu seruandis consule Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. 6. 14. n. 2. & 3.

S. 3. Arti-



### §. 3. Articuli Matrimoniales controuersi.

**C**ontrouertitur 1. Num propter inobseruantiam & contemptum SS. Canonum impedimenta dirimentia penes hæreticos obligare desinant.

2. Nominatim an teneantur Decreto Concilij Trid,

3. Vtrum, si post publicationem legitimam huius Decreti Parochia vel tota vel ex parte defecit à fide vera, facti hæretici etiamnum illo obligentur,

4. Num adeo contrahentes præter præscriptum SS. Canonum validè contrahant.

5. Præsertim in locis mixtæ Religionis,

6. Vel si de loco, vbi Decretum obligat, sese conferant ad Parochiam vbi receptum non est, eâ solùm intentione, in fraudem, vt aiunt, Decreti, vt illic sine solemnitate requisita contrahant reuersuri protinus ad proprium locum.

7. Quid sentiendum circa Hæreticorum Diuortia.

8. An post conuersionem ad fidem orthodoxam permittendi coniuges in matrimonio postremo.

9. An separandi, cum libertate aliter & cum alio incundi coniugium.

§. 4. Dis.

## §. 4. Dissensus Doctorum.

**D**octores Inferioris Germaniæ ad cuius instantiam factæ sunt Declarationes supra recensitæ, harum obseruantiam mordicus vrgent, quos inter sunt præcipui, Syluius *vbi supra*. Veriuijs *in Pastoralis Mission. qui materiam istam ex professo discutit dicto tr. 13. de Matr.* Stephanus à S. Paulo *Theol. Mor. tr. 5. de Sacram. Matr. disp. 8. dub. 3.* citans insuper Bertrandum Loth, & ex eodem Chapeauile, Wiggers, & Zypæum; Item Franciscum bonæ spei. Consentiant ijs Iacobus & Petrus Marchantius, fratres, hic *in resol. notab. de Sacram. Matr. casu 8.* Ille *in Horto Pastor. tr. 8. in Resol. Pastoral. circa Sacram. Matrim. c. 2.*

Iis aduersantur Germani Superiores, Tanner *tr. 4. disp. 8. q. 3. dub. 8.* Layman, *l. 5. tr. 10. part. 2. c. 4. n. 7.* (in quo tamen Veriuijs, sicut & in Dicastillo nihil simile ait se reperire, sed fallitur circa Layman, quicquid sit de Dicastillo, quem videre mihi non licuit.) Mocquet *in Diss. de cland. nupt. insine.* Simon Felix de quo supra, & eius Discipulus P. Henricus Mayr *Disp. de Sponsal. & Matr. p. 2. §. 7. n. 70.* vbi suum Præceptorem verbotenus sequitur. His consentiunt ex Gallica natione Vrbanus ab Ascens, *Theol. Mor. tr. 3. tit. 15. c. 6.* Gam-  
**B** machæus,

machæus, quem cum Vega, Veracrucio & aliis allegat P. Henric. Mayr. l. 6. R. P. Gobat inclytæ Societatis IESV Theol. Moral. Professor celebris, qui Controuersias istas præ cæteris omnibus, quos ego viderim, acuratissimè expendit in *Alphabero Matrimoniali* p. 1. casu 1. sect. 1. tota. Cas. 11. à n. 223. vsque ad n. 243. exclusiue. Casu 18. à n. 459. vsque ad n. 481. inclusiue. Rursus n. 520. & p. 2. casu 19. tota. in quibus partem priorum DD. ex instituto sectatur, ita tamen vt partem alteram impugnet quidem non tamen omninò improbet, quin tanquàm in praxi probabilem admittat, quasi quidam vtriusque Mediator, p. 1. casu 1. n. 55. & casu 18. n. 471. & 521. ac tandem casu 19. n. 710.

### §. 5. Resolutio ad mentem Doctorum Belgij.

**I**n hærendo fundamentis priorum DD. qui, cum Ecclesiæ sit summa potestas & ad eam constans voluntas, eius Decretis ac Declarationibus volunt heterodoxos nolentes volentes subiacere, propositiones controuersas ita resolues. Ad 1. ad obseruantiam SS. Canonum peræquè tenentur semper omnes baptizati, tam Catholici, quàm Acatholici, neque hos iuyat aut ab-

ulius,

usus, aut ignorantia. Lege de his P. Gobat  
*p. 1. casu 1. num. 19.* qui exinde *n. 50.* omnia  
 matrimonia Acatholicorum facta cum im-  
 pedimento Iuris Ecclesiastici irrita esse con-  
 cludit. Ad 2. tenentur quidem etiam hære-  
 tici ad obediendū in hoc statutis Ecclesiæ in  
 Synodo Trid. factis, in Parochiis tamen,  
 vbi Decretum illud matrimoniale promul-  
 gatū non est, validè matrimonia fiunt.  
 Declaratio S. Congregationis 1. a ex præ-  
 allegatis. P. Gobat *n. 36.*

In 3. 4. & 5. inualidè contrahitur, quan-  
 do potest haberi assistentia legitimi Paro-  
 chi, vel alterius habentis potestatem, ac tes-  
 tium. Declaratio præmemorata 2. 3. & fi-  
 nalis ad Casum Antuerpiensem. P. Gobat  
*Casu 17. n. 463.*

Circa casum 6. non esse legitimum ma-  
 trimonium, si qui se conferant ad locum, in  
 quo Concilium non est promulgatum sub  
 animo sine Parocho & testibus contrahen-  
 di, resoluit Barbosa in Concil Trid. *sess. 24.*  
*c. 1. n. 172.* post Aldan. ex quo refert sic ef-  
 se decisum in Colon. 5. Sept. 1626. & in An-  
 tuerp. 16. Dec. 1626. Idem tenet Sylu. vbi  
 supra, cum Ledesma, Roderiq. & Henriq.  
 Illos validè contrahere sustinet Stephanus à  
 S. Paulo, loco superius allegato, referens  
 ita sentire Lothum cum septem alijs proba-  
 bat

batis Authoribus, quia tales, inquit, jure suo utuntur, ac mala eorum intentio conferre quidem potest ad committendum peccatum, non tamen ad annullandum actum, cum intentio maneat in mente, nec influat in opus externum.

Vtrisque fauet P. Gobat *casu* 18. n. 484.

Ad 7. Diuortia contra præscriptum SS. Canonum contrahentium esse legitima, non propter autoritatem Ministrorum infidelium, sed intrinsecam inualiditatem. P. Gobat *p. 2. cas.* 19. n. 695.

Ad 8. Post conversionem ad fidem orthodoxam, nisi grauissima incommoda persuadeant relinqui coniuges illos in bona fide, suadendum ut denuò legitime contrahant, nisi dirimens impedimentum obftet. Videfis circa hunc articulum P. Gobat *p. 1. cas.* 20.

### §. 6. Disceptatio partis aduersantis.

**I**N fauorem posteriorum Authorum facit resolutio certi casus, quam dedit quidam magnæ autoritatis & doctrinæ SS. Canonum Professor, quæ cum singularem contineat doctrinam, & momenta rationum vtrinque militantium accuratè expendat, verbo

verbotenus eam subijcio, cum in lucem  
notoriè, quod ego sciam, nunquam prodie-  
rit.

## Q V Æ S T I O.

Vtrum Matrimoniũ in gra-  
du prohibito ab Hæreticis  
contractum sit validum?

Species facti.

**A** Nna heretica cum Petro itidem heretico  
contraxit in territorio Bernensi matrimo-  
nium, deinde cū adulterium commisisset, ab eo-  
dẽ à Bernensi Consistorio separata fuit, quoad Tho-  
rum & vinculum, Petrũque aliam duxit, Et  
idem sibi licere credens Anna ad Catholicos trã-  
sijt, seq̃ue Conrado spondit, quorum etiam fac-  
tis ternis denunciationibus, & monito Parocho  
saltem ante vltimam denunciationem de priori  
Matrimonio solennes nuptias contraxit. Cum  
res hac non omnibus probaretur, censerentque  
matrimonium quoad vinculum ab heretica, aut  
vlla humana potestate dissolui non potuisse, post  
tres quatuorue annos, idem Parochus, qui ma-  
trimonio adfiterat inter Conradum & Annam,  
illud nullum suã auctoritate declarauit, & Ber-  
ram Conrado permisit, huic itaque præmissis rur-  
sus denunciationibus iunctus, cum eadem plures  
B 3                      annos

annos conuixit. Tum verò resciri captum, quod Annam inter & Petrum, impedimentum tertij gradus consanguinitatis intercessisset, & quia eam ob causam inter illos matrimonium nullum fuisse credebatur, ideoque valuisse matrimonium Anna cum Conrado; rursus his huic mora, iussusque ad primam redire est, sed quia à posteriore duos liberos habet, id noluit prestare, priusquam litteras haberet, quibus proles legitima, & innoxij coniuges, declarentur, Parochusq; reus in expensas, & compensationem damni condemnatus esset.

In hoc casu certum est, si matrimonium inter Annam & Petrum, vel ab initio fuit invalidum, ratione impedimenti consanguinitatis, vel post fuit legitima auctoritate dissolutum, etiã quoad vinculum, tum matrimonium Annam inter & Conradum fuisse validum, & posterius inter Conradum & Bertam nullum.

Certum etiam est è contra, si matrimonium inter Annam & Petrum fuit validum, & mansit, tum Matrimonium Anna cum Conrado esse irvalidum, validum verò Matrimonium Conradi cum Berta.

Vt adeo totus quæstionis Cardo in eo versetur, an scilicet Anna Matrimonium cum Petro, fuerit validum necne? Certum verò est, & apud Catholicos indubitatum, si Matrimonium ab initio validum fuit, non potuisse amplius vlla humana potestate

potestate dissolui, nec inter hereticos, qui esse Sacramentum particulatim esse non credant, volunt tamen facere in genere quod Christus iussit, & secundum institutionem Christi Matrimonium contrahere, adeoque etiam ob errorem in specie non consentientes, tamen contrahunt Sacramentum.

Sola igitur difficultas est, anne Matrimonium cum positio impedimento Consanguinitatis tertij gradus inter hereticos, sine dispensatione contractum, sit ratione impedimenti inualidum, prout foret, si à Catholicis ita contractum esset.

Certum est 2. Parochum qui adstuit Matrimonio, inter Conradum & Annam, grauer deliquisse: plus, si, ut ponitur, de priore Anna Matrimonio monitus fuerit; minus, si nihil dictum sit; deberet enim rem ad ordinarium detulisse, cum dubitandi ratio occurrit, aut diligentius an libera sit, indagasse, quod semper est agendum Parocho, ut non videam ullam excusationem.

Certum est 3. iterum Parochum grauer deliquisse, quod Matrimonium inter Annam & Conradum, nullum sua auctoritate declararit, aut alteri id dicenti crediderit, & rursus Matrimonio inter Conradum & Bertam sine auctoritate Ordinarij adstiterit.

Certum est 4. liberos à Conrado & Berta procreatos, dum in bona fide essent ambo, aut alter saltem coniunx, esse, aut censerì legitimos per



textum expressum in tit: quod filij sint legitimj. Ipsos verò qui geniti fuerunt, postquam à mala fide esse ceperunt, tales non haberi.

His verò, & quæ expensas, pœnam q̄ Parocho debitam attinent, relictis; Quæstio principalis in utramque partem diligenter tractanda est.

Pars itaque negatiua, quòd Matrimonium Annam inter & Petrum contractum, non sit validum, sic probatur: Matrimonium cum impedimento dirimente non dispensato contractum non est validum, Tale est dictum Matrimonium, ergo non est validum. Maior indubitata est. Minor etiã certa videtur. Constat enim & in confesso est, in tertio gradu Consanguinitatis, coniunctos esse. Certum videtur tertium Consanguinitatis gradum efficere impedimentum dirimens. Certum etiam est Hæreticis nullam competere posse dispensandi potestatem, neque enim censi potest Pontificem ijs, qui maximè Ecclesiæ noxij, & aduersarij sunt, hanc dispensandi potestatem concedere voluisse. maximè cum Laici omnes sint, & ordinis potestate careant (si profugos, aut Catholicos Sacerdotes excipias) qui cum execrabiles sint, nullus erga eos Ecclesiæ fauor, ut nec erga hæreticos concipi cum fundamento potest. Certum itidem videtur, hoc impedimento teneri etiam hæreticos, cum subiecti sint Ecclesiæ, & refractarijs nihil sit indulgendum, errore nituntur. Neque aliud est, quod pro parte negatiua asserti valeat.

Affirma-

Affirmatiua è contra sic ostenditur. Matrimo-  
 nium contractum inter coniunctos in tertio gra-  
 du, vbi Canones de Impedimentis positius non  
 vigent, vel abrogati sunt, est validum, atque sic  
 contractum est Matrimonium Annam inter &  
 Petrum, ergo illud matrimonium est validum.  
 Maior censenda est, quia cum lex prohibens quo-  
 quo modo sublata est, actus contra legem nõ cen-  
 setur amplius prohibitus aut inualidus. siue cũ  
 Canon statuens impedimentum, alicubi desijt ob-  
 ligare, actus contra Canonem non censetur illo  
 impedimento affici, quod enim sublatus est, ni-  
 hil vltra operatur, ac sic supponitur lex, seu Ca-  
 non sublatus. Minor itaque omnem difficulta-  
 tem habet, Ea verò probatur. Impedimentum  
 Iure humano inductum inhabilitans ad contra-  
 hendum, vel contractum inualidans, vsu & con-  
 suetudine humanâ tolli potest. Secundùm Sanchez  
 l. 7. disp. 4. in 14. & plures ab ipso citatos. Hoc  
 impedimentum tale est, ergo tolli vsu & consue-  
 tudine poterit. Et de hoc argumento quod actum  
 tantum primum, seu potentiã insert, haud mag-  
 na est controuersia, que enim Legislatoris, ea cri-  
 am est consuetudinis vis ordinariè &c. Neque  
 obscurum est, Bernenses & Hæreticos omnes mo-  
 dernos, vsu & consuetudine, plus quàm centum  
 annorum hæc impedimenta positiui iuris sustu-  
 lisse, seu contra leges Canonicas hæc impedimen-  
 ta ferentes egisse. Tum quia potestatem Ecclesia-  
 sticam

ficam non agnoscunt, nec villas leges ab ea provenientes. Tum quia haec impedimenta non esse substantialia, quae irriter, docent; posseque ex honestate à seculari Magistratu tolli. Tum quia complures hoc saeculo contraxerunt & contrahunt in his impedimentis, quorum nuptiae pro legitimis habentur.

Tota itaque difficultas probandi versatur in partibus, quae consuetudinem legitimam efficiunt, Ea verò iuxta Cap. Vel. de Consuetud. sunt, ut sit rationalis & legitime praescripta. Quod autem eiusmodi consuetudo sit rationalis, id probatur, Tum inde, quia nec Iuri Divino, nec naturali est contraria, cum tollat solummodo Ius positivum; Tum quia in integra Republica, vel Principatu frequenter contingit, ut omnino expediat, & admodum conveniens sit coniunctos in 3. & 4. gradu Matrimonio iungi, consequenter rationale est, si id fiat; Tum quia inter ipsos Catholicos experimur frequenter, vel necessitate, vel eximiam utilitatem aut honorem efficere, ut in impedimentis dispenseretur. Vnde saltem id sequitur, non esse naturae aut legi Divinae contrariam eiusmodi consuetudinem. Nec obstat quod consuetudo contraria reprobetur in Cap. Quod supra. de Consanguinitate & affinitate, nam etiam contra talem legem, cuius contraria consuetudo reprobata est, posse induci consuetudinem ostendit Sanchez, cit. disp. 4. Cum videlicet nova causa subest, qualis

qualis hic est Reipublica necessitas & conuenientia, ve impeditis subinde permittantur matrimonia, cum maximè etiam heretici aliqua discretione vrantur, & sine cognitione cause permitttere non soleant coniunctis Matrimonia.

Nec obstat 2. quod talis consuetudo contra Ius Canonicum inducta sit, ideòque nequeat esse rationi consentanea, quia omnis consuetudo legi contraria est, qua lex abrogatur, & tamen nemo est, qui non sentiat legem consuetudine abrogari posse, etiam Canonicam, semper primi actus vitiosi esse solent, & irrationabiles prout legi aduersantur. Sed hinc ex certa & communi DD. sententia, rationabilitas, aut irrationabilitas consuetudinis sumi non potest. Aliàs enim consuetudo nihil posset? Inde verò accipienda est, quòd actus secundùm se spectatus, nec Legi Diuina, aut humana aduersetur, & pro Personarum, Temporum conditione expediatur, aut necesse sit eundem fieri, vel saltem malum non sit, si secundùm se, aut in ordine ad communitatem & rerum humanarum exigentiam consideretur.

Nec obstat 3. quod causa Matrimoniales Ecclesiasticae sint & sacra ob rationem Sacramenti, nam in matrimonio reperitur ratio contractus ciuilib, & ratio Sacramenti, atqui in hac nihil omninò potest consuetudo, cum sit Diuini Iuris, in contractu verò, ad quem inhabilitantur per-

sona,

senæ, aut qui inualidatur, cum mere civilis sit, & à sponsis inæatur more Gentium, non apparet, cur nihil queat consuetudo etiam Laicorum. Omnino igitur satendum est, eiusmodi consuetudinem esse rationabilem, quod adhuc magis ex sequentibus apparebit.

Quod verò sit legitime præscripta, nempe triginta vel quadraginta annis durauerit, & actus frequentes exerciti fuerint, id quidem aperius est quàm vt probatione indigeat; nam eiusmodi consuetudo vniuersalis est rebus humanis ita exigentibus inter omnes Hæreticos Imperij & Heluetiæ &c. etiam supra centum annos durat, & pluribus actibus roborata fuit.

Nec aliud apparet quod requiratur, nam bonam fidem non exigi ad introducendam consuetudinem, clarum est & certum apud DD. qui concedunt primos actus, quibus lex consuetudine abrogatur, esse ordinariè peccaminosos & male fidei, quod contra legem suscipiantur & fiant.

Tantummodò in eo difficultas moueri potest, quod ad legitimam consuetudinis præscriptionem saltem tacitus consensus Principis requiratur, vt complures contendunt, & in talem prouinde consuetudinem Pontifex & Ecclesiastici consentire debeant, quod tamen præsumi posse non videatur. Sed neque hic laboratur, nam in Cap. fin. de Consuetud. non exigitur, sufficereque censetur scientia & patientia Principis generalis, qua

qua eo ipso interuenire existimanda est, quod vim talem consuetudini Princeps vel Pontifex tribuit.

Deinde multa sunt, qua tacitum consensus ostendant, nam primò in Imperio & Heluetiâ, Matrimonia in gradibus prohibitis Iure humano contracta, etiam à Catholicis ita tolerantur, vt nec liberi ex ijs nati censèantur illegitimi, nec arceantur à feudis & successiõibus, nec aliud quicquam patiantur, sed omninò habeantur vt ij, qui ex Matrimonio sine vllò impedimento contracto nati sunt. Ac proinde communis sensus & existimatio Catholicorum saltem Laicorum est hac matrimonia hereticorum esse valida. 2. nec Episcopi in eiusmodi matrimonijs reclamant. 3. in Palatinatus Neoburgici, & Superioris conuersione, Patres qui in ijs locis egerunt, & apud Episcopos fuerunt, non recordantur vlli conuerso motam de eiusmodi matrimonio Questionem. 4. In territorio siue Dominio Neoburgensi, prope Bernenses, subiecto Principi à Longeuillâ, in quo subditi heretici sunt, & Praefectus Catholicus, cum Matrimonium inire volunt, intra gradus prohibitos, licentiam à Praefecto Catholico petunt, & is illam, cum videtur, concedit, habenturque matrimonia ab omnibus licita, quod nisi consuetudine praedicta excusari nequit. 5. In his Regionibus vbi familiae partim haereticae, partim Catholicae sunt, vbi inter Haereticos Catholicis viuendum est, vbi illorum abusus tolerantur,

ita vt communicare cum ijs liceat, nimis magna incommoda sequerentur, si eiusmodi matrimonia censerentur illegitima omnino, nam à conuersione plures absterrentur. Quaestiones plures moueri possunt de hereditatibus & alijs, omnia replerentur spurijs & illegitimis &c. cū maxima inhonestate & probro cognatorum, & familiarum etiam Catholicarum.

Censendum proinde est S. Pontificem, cum aliter non expediat, tacite consentire non approbando, sed non irritando, quia heretici impunè inter Catholicos tolerantur, quia aliàs plurimò incommodi ipsis Catholicis accederet, quia possibile non est, vt ad obseruationes Iuris Canonici reducantur vno impetu, quia hac ipsa tacita indulgentia ad faciliorem conuersionem facit; & Catholicis ipsis expedit, ob permixtionem familiarum, & vt conuiuant honesto matrimonio natis. Quia quaestio de matrimonio aut notabiliter nulli moueri potest heretico more coniuncto, quia cum ex vna parte clarum sit necesse esse, aut frequenter expedire, vt in tanta communitate permittantur matrimonia impeditis humana lege. Ex altera conueniens apparet, vt cum aliter fieri non potest, ex tacita indulgentia aut rolerantia pro legitimis habeantur.

Quod vel ideo prudenter existimari potest, quia omnibus consideratis, minora mala sunt

in præsumptione taciti consensus, quàm in rigida lurs observatione, eiusque negatione.

Et sanè videretur absonum, si S. Pontifex vellet talia hæreticorum matrimonia declarare illegitima, & ex ijs natos, spurios.

Ad Corporis etiam politici, quod ex Catholicis & hæreticis constat, honestatem pertinet, ut cum hoc possit tolerari, fiat, ad maiora incommoda & omnium turbationem evitandam. Sanè prudenter censeatur S. Pontifex communi fidelium existimationi saltem tacite consentire, qualiter supra diximus esse de Matrimonij hæreticorum contractis, in gradibus prohibitis jure positivo.

Potest verò tacitus hic consensus, & Indulgentia etiam aliqua auctoritate muniri; nam imprimis clandestina Matrimonia ab hæreticis contracta, vbi Trid. promulgatum fuit, & postea ex causâ hæresis vigere desijt, pro validis habentur. Deinde in ijs etiam Parochijs, vbi hæretici Catholicique permixti sunt, & Cœcilium viget, matrimonia hæreticorum clandestinè contracta, non omnino rejiciuntur & damnantur; ut Tannerus loquitur disp. 8. de matrimonio. q. 3. dub. 6. §. 15. n. 122. vbi dicit Matrimonia hæreticorum in locis & Parochijs, vbi Concilium Trident. est promulgatum, & hæreticè



heretici impunè inter Catholicos tolerantur, nec dum quidem inualida censerì à DD. quamvis sine vero Parocho contrahantur, propter tacitam dispensationem Pontificis, qui sciens eiusmodi matrimonia non contradicit, nec irrita declarat. Æquè autem Ecclesia cordi esse videtur Lex Conc. Trid. de Matrimonijs Clandestinis, quàm de gradibus consanguinitatis. Atque ex his facilis est responsio ad ea, quæ pro parte negatiua allata fuère; Dicendum enim est Pontificem non in gratiam & fauorem hereticorum tolerare & indulgere, sed ad maiora mala cauenda Corporis politici, constantis ex Catholicis & hereticis, ad facilitandam Conuersionem, ad meliorem pacem Catholicorum & Hereticorum, qui acerbissime vel ob hanc causam Catholicos persequerentur, si Matrimonia in gradu prohibito pro illegitimis declararentur, & liberi ex ijs nati pro spurij haberentur. Quod autem à Catholicis inter hereticos in vno corpore existentibus fieri non potest, id nec velle censendus est Pontifex, ac proinde tacitè consentire presumendus.

Subscripsit huic resolutioni alius eiusdem Professionis Doctor sequenti responsò.  
Pax Christi &c. Ad questionem binis litteris à R. V. propositam Resp. idem, quòd ipsa prudenter & doctè insinuat, nimirum Matrimonia ab Hereticis ipsorum more inter coniunctos tertio & quarto gradu contracta, à nobis videri habenda pro legitimis, neque difficultatem vllam mouens.

mouendam. Tum quia in Imperio habentur pro legitimis, ut R. V. rectè aduertit. Tum quia contrarium non parum obstaret conuersioni coniugatorum Hæreticorum. Quam ob rem, sicut matrimonia clandestina, etiam ubi receptum est Conc. Trid. (v. g. in Diocesi Constantiensi) non rescinduntur inter hæreticos, ita non est causa, ut rescindantur in 3. & 4. gradu ab illis contracta. Neque enim minus videtur Cordi Ecclesie esse lex Conc. Trid. de matrimonijs clandestinis, quàm de gradibus consanguinitatis. Ego certè non multum scrupuli, imò nullum mouerem super hac re, nisi fortè crederem ab illustrissimo Nuncio, vel per illum, declarationem fauorabilem haberi posse. Non memini vnquam, in Episcopatu Augustano, per 14. Anos, quibus Episcopus meæ operæ usus est, hanc questionem motam, etsi non dubitem in tanta Neophyrorum multitudine fuisse aliquos, imò multos in isto gradu coniunctos. Neque aliud mihi occurrit, cum Authores hanc questionem non tractent, aut certè illos non legerim, qui tractant.

### §. 7. Assensus ex Iure confirmatus.

**N**E cui, attentâ summâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & quod in omnes Christianos absolutum ab omni humana potestate independens habet, imperio, cuius ab antiquo factæ sanctiones, hucusque

C

obser.

obseruata, frequentius confirmata, tam  
 .expresse recenter, vt supra relatam est, de-  
 clarationes extant, præcedens resolutio mi-  
 nus æquouideatur mandatorum Apostoli-  
 corum obseruans, scire conuenit, non raro  
 propter urgentes causas boni communis vel  
 etiam priuati, publicæ quietis ac pacis, pro  
 temporum ac locorum varietate concedi,  
 quæ cæteroqui communi iure secus sanctif-  
 simè constituta sunt. Vt tradunt Iuriconsul-  
 tult in *c. Hac quippè* 3. q. 6. Vnde versus,  
 quem refert Viuianus in *Ration. Iur. Can.*  
*lib. 4. in c. Vbi de Despons. Impub. ex Gl. 2. in*  
*c. fin. ibid.* Pax vt seruetur, moderamen lu-  
 ris habetur. Illius enim bonum, inquit ibi Vi-  
 uian. *est opus pietatis. Gl. 2. in c. de ferijs.* Et  
 dicitur fieri pro vrgenti necessitate, quod  
 fit gratia pacis. *vt in text. d. c. Vbi.* Et quoni-  
 am necessitas non habet legem. *c. Consi. §.*  
*fin. de obseru. ieiun.*

Exempla huius in iure passim occurrunt,  
 tum in alijs, cum etiam re matrimoniali  
 singulariter. Sic enim sponsalia, licet natu-  
 ralem inducant obligationem ad promif-  
 sionem implendam illi cui facta est. *c. De-*  
*sponsatos. c. de Coniugali. 27. q. 2. c. Ex litteris.*  
*2. Et c. Requisiuit. De Sponsal. validum tamen*  
*admittitur matrimonium cum altero initū.*  
*c. De sponsa duor. c. Sicut. c. Si inter. c. Veniens.*  
*c. Is qui fidei. De Sponsal.*

Votum

Votum simplex, quia non minus obligat apud Deum, quàm solenne, idèd ne vouens frangens fidem Deo promissam, prohibetur matrimonium contrahere. *c. Rursus. Quò Clerici vel you.* Tamen ex causa, quandoq; permittit Ecclesia contrahi matrimonium. *c. Veniens. cit.*

Ab Exordio Ecclesiæ coniugia inter consanguineos non solùm fuerunt prohibita, verùm etiã nulla, jure quidem antiquo vsque ad septimam generationem donec vniuersali lege in Conc. Later. sub Innoc. 3. vò habetur *c. Non debet. de Consang. & affin.* restrictum fuit impedimentum vsque ad quartum gradum duntaxat, quæ lex etiã nostro tempore perseuerat sequentibus Concilijs approbata & confirmata. Pontius l. 7. de matr. c. 30. Genti tamen Anglorum ob fauorem fidei, quam recens susceperat, permissa fuit copula in quarta vel quinta generatione. *c. Quadam. q. 3. Et c. ad sedem. q. 5. 35.* Item Pagani, vt in 2. vel 3. gradu coniuncti post conuersionem in simul remanere possint. *c. Gaudemus. de Diuort. In fauorem,* vt tibi dicitur, *Christiana Religionis & fidei, & eius perceptione per vxores se deserere timentes viri facile potuissent reuocari.* Similiter & Liouenisibus, vt matrimonijs vteretur cõtractis (etiã post conuersionem, vt vult Bartheolus, in *c. fin. Ibid.*) cū relictis fratrum. *cit. c.*

C 2

Etiã

Etiam ob priuatam causam permiffa fu-  
iffe matrimonia aliàs illicita, liquet ex *c.*  
*Veniens. Qui Cler. vel vou.* quo concessum fu-  
it cuidam mulieri post votum Castitatis  
emiffum contrahere, eò quod tutius effer,  
vt præfata mulier post fidem & votum fim-  
pliciter oblatum contraheret, quàm forni-  
cationis reatum incurrat.

In impedimento quoque dirimente ha-  
betur exemplum manifestum *c. Propositum.*  
*De eo qui duxit.* Licet enim fides & copula  
viuente vxore impediant & dirimant ma-  
trimonium cum alia, *c. vlt. c. cum haberet.*  
*c. Ex tuarum. eod. tit. & c. 1. 33. q. 1.* Si quan-  
do tamen vir contrahit, cum fecunda vxo-  
re, habens primã vxorem viuam, & secun-  
da, cum qua contrahit, nescit primam esse  
viuam, si moriatur prima, & mulier, quæ  
decepta fuit, vult, compellitur vir cum illa  
vitam agere; fin autem cohabitare detre-  
ctat, datur illi ad difcedendum facultas.  
*Barbof. Alagon. Viu. in eum locum.*

Declarantur denique *c. Coninebantur. c.*  
*Attestatione. Et c. vlt. de despons. Impub.* ad  
contrahendum omninò inhabiles Pueri an-  
te annos 14. feminae autem 12. completos;  
quorum tamen coniunctio pro bono pacis  
interueniente aliqua necessitate vrgentiſſi-  
ma toleratur, *iuxta c. Vbi. eodem tit.*

Valet igitur in re quoque matrimonial  
quan

quandoque commune illud Iuris axioma. *Facta multa tenent, quæ à principio fieri prohibentur.* Barbof. *axiom.* 93. n. 30. Non solum circa Impedimenta matrimonium prohibentia, verum etiam dirimentia, interueniente causa aliqua vrgentissima, ob qualem canon, *Licet.* 2. *de test. & attest.* Tolerabilius esse dicit aliquos contra statuta hominum (vt est canon prohibens Matrimonium consanguineorum intra 4. gradum de quo ibi sermo est.) dimittere copulatos, quam coniunctos legitime (seruatis quæ sunt de Iure naturali vel diuino, vel etiam iuxta Patriæ consuetudinem ac leges) contra statuta Domini separare &c. concurrente præsertim errore communi, quomodo Pontius *de Matr.* l. 5. c. 20. *in fine.* docet valere Matrimonium contractum coram Parrocho existimato, etiamsi sic intrusus, & non constitutus à Superiore legitimo, per regulam, quam *ibid.* n. 2. vocat vniuersalè, atq; in vtroq; foro, externo & interno cõscientiæ, validam: Quoties causa publica bonumque publicum agitur, quæ gesta sût, cum communi errore. Saltem quousque non rescindantur autoritate legitima, quod sæpe sæpius contingit in actis contra leges, præsertim verò contractibus, vt singulariter aduertit Urbanus ab Ascens. *Theol. Mor.* tr. 3. tit. 11. c. 2. *Multa,* inquires,

Prohibentur fieri, qua tamen facta tenent, ac licet sapè committatur peccatum in eiusmodi prohibitis, & etiam obligatio restituendi contrahatur non idèò cassi: putanda sunt, sed cassanda per Iudicis sententiam.

## §. 8. Sensus proprius & ad singulas dubitationes Responsio.

**S**iquidem ergo & minimo mihi licet in Ecclesia quinque verba meo sensu loqui, quid sentiam, breuiter edisseram, si præmifero sequentia.

1. Matrimonium est triplex, *legitimum, ratum & consummatum*. Legitimum est, quod fit secundum Leges. Ratum in se includit legitimum, addit verò rationem Sacramenti, per quod maiorem firmitatem & indissolubilitatem acquirit. Vnde Innoc. 3. in c. *Quanto. de Divort. Etsi*, ait, *Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen ratum. quia ut dicit Gl. potest dissolui*. Matrimonium ratum ethi hac ratione firmitus fit, quàm legitimum, potest tamen solui etiam quoad vinculum, si alter coniugum emirat votum solenne Religionis, ut definitum est in Conc. Trid. *sess. 24. can. 6. utrum etiam dispensatione Pontificia dissolui possit, magna inter Doctores controuersia est.* Syluius p. 3. *quæst.*

quest. 61. a. 2. q. 2. negat absolutè aliter  
 solui posse quàm per professionem Religio-  
 nis, atque ita communiter tenere Theolo-  
 gos, Dispensasse tamen, de facto Martinum  
 V. Eugen. 4. Alex. 3. & Gregor. 2. seu 3. te-  
 statur ibidem, secutos sententiam probabi-  
 lem, & apud Iuriscon. communem. similes  
 dispensationes fuisse concessas à Mart. 5.  
 Eugen. 5. Pio 3. & Pio 5. tradit Tamburinus  
*de Matr. 17. s. c. 6. §. 1. ex Hurtado; ex Hen-  
 riq. verò narrat Gregorium 13. vna die tre-  
 decim dispensationes dedisse hac de re. Ma-  
 trimoniū consummatum est illud ipsum quod  
 ratum, sed postquàm accessit copula, ita di-  
 ctum, quia per hanc omnino completur seu  
 consummatur, & sicuti venditio rei seu  
 tione, perficitur; vnde quoad vinculum  
 prorsùs indissolubile euadit. Mart. 10. Luc.  
 16. Item Trid. cit. can. 5. & 7.*

2. Matrimonium legitimum est contra-  
 ctus naturalis seu civilis constans essentia-  
 liter ex consensu mutuo, sicut & cæteri cõ-  
 tractus, qui cum ad valorem sui requirant,  
 vt fiant iuxta loci, in quo celebrantur, con-  
 suetudinem, id ipsum etiam in contractu  
 matrimoniali accidit, vt si fiat à fidelibus,  
 etiam Ethnico Regi subiectis in terris infi-  
 delium contra legem aliquam civilem hu-  
 iusmodi contractum irritantem ibi vigen-  
 tem, eo ipso sit nullus ac inualidus. Potuisse

C 4

tamen



tamen per Ecclesiam Principibus Sæcularibus vsus huius potestatis inhiberi, acque re ipsa inhibito esse ac reseruatam, vt per se ac propria auctoritate nullas leges ferre possint, circa matrimonialem contractum, nisi cum præuia approbatione Ecclesiasticæ potestatis, tradit ex communi & certa sententia Tanner. 10. 4. de Matr. q. 1. dub. 1. n. 17 & seqq. addit autem n. 21. sibi probabilis videri, hoc Ecclesiæ statutum tolli posse & abrogari per communem tam Clericorum quàm Laicorum consuetudinem legitime præscriptam & rationabilem. De hac re cole disserta in resolutione superius recitata.

3. Naturam contractus sequitur Sacramentum Matrimonij, vt si nullus sit contractus & invalidus, nullum etiam sit Sacramentum, nequidem accedente copula. Est enim contractus legitime initus matrimonij, vt Sacramenti materia, qua sublata, tollitur etiam forma, seu ratio Sacramenti.

Dubium est, an existente contractu Matrimoniali legitimo, inter fideles sequatur inseparabiliter etiam ratio Sacramenti Dico, inter fideles, nã inter infideles hæc esse separata, loquendo de Sacramento propriè dicto, certum est. Apud fideles etiam separari possent Authores grauissimi, quod nec ex Consilijs, Patribus aut DD. communi constet Christum

Christum D. ita Matrimonium instituisse, ut in eo ratio Sacramenti & ratio contractus sint inseparabiliter coniunctæ, ut loquitur *Diana in Summa V. Matrimonium. n. 1.* Id contingere in Matrimonio inter absentes siue per litteras siue per Procuratorem celebrato tenet Pontius *l. 5. de Matr. c. 9.* Syluius *p. 3. q. 42. a. 1. quas. 3. cum alijs. Vasquez p. 3. to. 3. disp. 138. c. 5. n. 63. & 64.* Et alij, quos refert ac sequitur P. Gobat *p. 1. cas. 11. n. 229* docent separari posse rationem contractus matrimonialis, à ratione Sacramenti, etiam priuata & particulari intentione contrahentium, ut si Sectarius hodie velit suscipere matrimonium, uti contractus civilis, non uti Sacramentum est. Alij simpliciter negant, dicentes matrimonium inter fideles semper esse Sacramentum, quia dum Concilia florent, & Trid. vniuersim defininnt, matrimonium fidelium esse Sacramentum, nullum excludunt, inquit *Coro celebr. cõtrou. l. 5. cõtrou. 1. c. 1. n. 11.* sed hoc nõ vrget, quantumuis accipiatur generaliter, loquitur enim de matrimonio, quod cum omnibus suis necessariò requisitis contrahitur, sicuti cum dicitur, Sacramentum nouæ legis esse signum efficax gratiæ; sensus nõ est, quod semper efficiat conferatque gratiam, sed positus ponendis. Quam ob rem si quis cum hac expressa intentione contrahat, nol-

le contrahere, vt sit Sacramentum, etiam si habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quando intentio illa praua est principalis, non credo futurum Sacramentum, cum generalis intentio Ecclesie vel Institutio Christi non influat in opus nisi per specialem intentionem Ministri. vt constat ex Conc. Trid. sess. 7. can. 11. Vnde si quis Baptismum daret seruatis omnibus ad eum requisitis, vel Missam diceret seruatis exactissime ritibus secundum institutionem Christi & Ecclesie, haberet autem intentionem, quod nolit baptizare sacramentaliter vel consecrare, actus remaneret pure naturalis & nullum Sacramentum: Ita & contractus Matrimonialis mere naturalis seu civilis permanet, si simili peruerfitate conficeretur, validus interim in suo genere, cum Christus D. eo quod contractum talem aliam ad Sacramenti dignitatem eleuauit, non idem tamen valorem ei naturaliter seu civiliter tantum inito sustulit, alioqui nulla penitus forent matrimonia infidelium, sed meti concubinitus, contra illud Apostoli 1. Cor. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.* quin potius amplius confirmauit prohibens dari libellum repudij, quod ab initio sic non fuerit, *Matt. 19. quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos, & dixit,*

dixit  
& m  
non re  
trimon  
heretic  
fuit, vt  
trahend  
tel hac  
forum,  
& esse se  
secur & B  
pro legiti  
e res hab  
dissolubil  
com dicit  
Matrimo  
nam &  
& contr  
inuidus  
His ita  
tuerlas i  
Ad i. Q  
Catholici  
per Baptis  
mentu tam  
tinentia,  
nam consu  
deliq; mar  
tal impedit  
esse, probat

dixit, propter hoc dimittet homo patrem  
& matrem, & adhaerebit uxori suæ &c.  
non repugnat ergo nunc etiam de facto ma-  
trimoniū à Christianis seu Catholicis seu  
hæreticis esse merum contractum ciuilem,  
si fiat, vt dixi, cum expressâ intentione con-  
trahendi quidem sed non vt Sacramentum.  
sed hæc intentio cum non sit nisi peruer-  
forum, præsumitur semper inuitum legitimè  
& esse sacramentum etiam inter hæreticos,  
sicut & Baptismus ab ijsdem administratus  
pro legitimo agnoscitur ab Ecclesia. Aliter  
se res haber, si quis intenderet contrahere  
dissolubiliter tantum, hæc enim intentio  
cum directè repugnet essentiæ contractus  
Matrimonialis, qui ex natura sua postulat  
statum & perseuerantiam vsque ad mortem  
&c. contractus hac intentione planè foret  
inualidus & nullus.

His ita præsuppositis ad quæstiones con-  
trouersas ita paucis respondeo.

Ad 1. Quinquàm A catholicis peræquè ac  
Catholicis teneantur mandatis Ecclesiæ, cui  
per Baptismum incorporati sunt, impedi-  
menta tamen Canonica matrimonium di-  
rimentia, quorum obseruantia per diutur-  
nam consuetudinem contrariam apud illos  
desijt, matrimoniorum penès eosdem cum  
tali impedimento initorum valori non ob-  
esse, probabilissimū iudico, ex præsumpta  
potis-

potissimum iuris indulgentia, non in fauorem perfidia, sed ob commune bonum, publicam pacem & vrgentissimam necessitatem &c. Moueor ad hoc tum rationibus in resolutione quaestionis praemissa recensitis, tum praecipue auctoritate locorum iuris, quae paulo superius adduxi, atque Doctorum, quos nominabo in Resp. ad 2. & 3. circa Decretum Conc. Trid. fauente P. Gobat. p. 2. cap. 1. n. 55.

Ad 2. Cum, vt superius a notavi, ex communi Doctorum consensu, Decretum Matrimoniale à SS. Trid. Synodo statutum nõ obliget, nisi legitime non solum in Diocesi verum etiã Parochia promulgatum sit, idque sit latum An: 1563. ante quẽ plures ciuitates & Prouinciã à fide defecerunt, ac proinde nunquam apud se publicari permiserunt, manifestum est id ijs in locis non obligare quantum ad irritationem matrimonij contra illius praescriptum contracti. Indicat hoc singulariter Tannerus to. 4. disp. 8. de Matr. q. 3. n. 122. Matrimonia hereticorum, inquit, in locis vbi Concilium non est promulgatum, extra controuersiam valida esse quamuis sine Parocho contrabantur. Quod potèd mox ibid. subiungit: In locis verò & Parochijs, vbi Conc. Trid. est promulgatum, & Heretici impunè inter Catholicos tolerantur, necdum quidem inualida censei à Doctoribus.

quam

quamuis sine vero Parocho contrahatur, propter  
 ratiã dispensationem Pontificis, qui scienseius-  
 modi matrimonia non contradicit, nec irrita  
 declarat &c. Hinc

Ad 3. Resp. simul & 4. ac 5. Etiam in lo-  
 cis, quibus promulgatum est Conc. Trid.  
 eiusmodi matrimonia contra præscriptum  
 illius facta (quicquid sit de peccato contra-  
 hentium, de quo postea) valere censeo in-  
 ductus motiuis in Resp. ad 1. insinuat, quæ  
 præter Tannerum & Authores prænarratæ  
 resolutionis, placere comperio etiam se-  
 quentibus. Inprimis Mocquetio in *disp. de*  
*Clandest. Nuptijs An: 1612 Dilige impressa*, in  
 qua sic respondisse viros Doctissimos super  
 hoc casu consultos attestatur. Refero pro-  
 pria illius verba ad finem illius disputatio-  
 nis posita. vbi cum retulisset ex Rebello  
 Declarationem S. Congregationis qua ne-  
 gatur valida esse huiusmodi coniugia, scilicet  
 matrimonia inter Hæreticos, hac formâ  
 Concilij non seruata, contracta sunt irrita;  
 si in Parochia, vbi isti hæretici degunt, Cõ-  
 cilium fuit publicatum, secus si nõ fuit pub-  
 licatum, quia tunc matrimonium tenet.  
 Huic Declarationi; Ex aduerso (subscribit  
 Mocquetius) si talium coniunctiones irritæ so-  
 rent, deberent coniuges separari: vel iterato con-  
 iungi, quod non fit; deinde filij ipsorum illegiti-  
 mi essent, ex quo magna perurbationes in hære-  
 dita-

ditatibus, officijs & dignitatibus, à quibus illi  
 gitari solent arceri, grauia inter Catholicos &  
 aduersarios his de causis odia & dissidia. Prop-  
 ter qua, & alia incommoda scio viros doctissi-  
 mos super hoc casu consultos respondisse, huius-  
 modi Matrimonia, ob tacitam Pontificis appro-  
 bationem rata validaque videri. Hæcille. Ac-  
 cedit Urbanus ab Ascens, Theol. Mor. tr. 3.  
 tit. 12. c. 6. Dicendum, inquit, videtur De-  
 cretum illud Trid. quamuis vbiq; fere promulga-  
 tum, non tamen in ordine ad illos receptum,  
 sicque semper eorum valere Matrimonia, vt ali-  
 às valebant clandestina, nam Lex quantum-  
 cunque promulgata, non tamen recepta tempore  
 sufficienti, nimirum decem annorum, non cre-  
 ditur obligare &c. Henric. Mayer Theolo-  
 giæ Professor Friburgi Brisg: in Opusc. de  
 spons. & Matr. p. 2. §. 7. declarans Decre-  
 tum Trid. de præsentia Parochi, n. 70. ab eo  
 excipit hæreticos, qui, ait, secundum Patria  
 suæ consuetudinem, etiam in Parochijs, in qui-  
 bus Decretum hoc Trid. fuit aliquando promul-  
 gatum, nec testes, nec Parochum adhibent &c.  
 omnia enim eorum coniugia, tanquam adulte-  
 ria, & filios illegitimos traducere nimis pericu-  
 losum esset Catholicis inter eos degentibus, quod  
 est damnum publicum non à solis legibus præci-  
 pientibus, sed etiam ab irritantibus excusans.  
 Gamach. c. 28. fin. cum Vega, Veracrucio, &  
 alijs contra Sanchez. &c. Denique Layman. l. 5.  
 tr. 10,

rr. 10. p. 2. c. 4. n. 7. licet, inquit, in Ciuitatibus Germaniæ, quibus Lutherani cum Catholicis permixti viuunt, v. g. Augustani Ciues, reuera in Spiritualibus subsint Episcopo suo, imò etiam Parocho Augustano; tamen existimandum haud est SS. Pontificum voluntatem esse, vt Trid. Decretum se extendat ad Matrimonia illorum, sine legitimo Pastore celebrata; ne multa incommoda oriantur, si eorum filij legitimè nati non sint, neque capaces officiorum, dignitatum, SS. Ordinum. &c. Addit P. Gobat p. 1. cas. 18. n. 460. Dicastillo de Matr. disp. 3. dub. 10. n. 84. quibus etsi non acquiescat, numero tamen 471. Iudicium tantorum virorum, ait, excusare omnes, qui sequuntur illos consulendo, iudicando & agendo, atque ita debere agere Parochos, Confessariosque locorum, in quibus fuit hætenus notoriè & constanter tolerata illius praxis à Magistratu Ecclesiastico Catholico, prout toleratur in Turgoia.

Veruntamen quoniam S. Congregatio de mente S. Pontificis prædicta matrimonia verbis expressis irritat, & nulla ac irrita declarat, ideo Resp. & dico 2. illa Matrimonia non amplius valere quàm contractus merè ciuiles, qui per sententiã Iudicis Ecclesiastici valeant rescindi ac dissolui, etiã quoad vinculū. Ratio est, quia Sacramentum esse non potest, nisi fiat secundum institutionem Christi, qui contractum talem aliter mat-  
teriam



teriam Sacramenti esse noluit, quàm si fuerit legitimus. Contractus autem cum sit ens morale ex hominum instituto, & pro varietate locorum ac temporum, ex hominum voluntate varias possit suscipere conditiones, sicuti patet in testamentis, donationibus, emptione, venditione &c quæ ut valida sint, contrahi debent iuxta cuiusque loci leges & consuetudines. Ecclesia quoque contractui Matrimoniali, ob causas vrgentissimas, certas præfixit conditiones, quæ si non obseruentur, contractus omninò sit nullus & irritus, v. g. si fiat absque præsentia Parochi, & duorum seu trium, testium, ob graua peccata, quæ ex clandestinis coniugijs ortum habent, vt habetur in Conc. Trid. *Seß. 24. de Reform. c. 1.* Matrimonium igitur Hæreticorum, quod fit cum impedimento dirimente quanquàm per Ecclesiæ tolerantiam ob causas adeò graues, eatenus valeat, vt sit coniugium honestum, & filij eorum sint legitimi, atque si conuertantur, capaces officiorum, dignitatum, SS. Ordinum &c. vt loquuntur Laym. & Mocquet. *supra citi*; Quia tamen consensum explicitum non habent, carent quoque perfectione, qua eleuentur ad sacramenti dignitatem. Ideoque & rescindi possunt per Iudicem Ecclesiasticum (huic enim tantummodò diuortia facere cõceditur, quan-

amuis im  
 turdò, de  
 repote in  
 tantes ei  
 Congreg  
 epetilis ea  
 aus in hæ  
 hæt, in Re  
 Isth. 2. ad  
 contractum  
 legitime sui  
 impliciter n  
 et quæ ex  
 quuntur. Dis  
 inuilla, seru  
 ou contrahit  
 matrimonium  
 cipitur, vt b  
 ne. Nec in fo  
 ruita hie Ma  
 e. si consuet  
 matrimonium  
 qui enim illo,  
 hæt ille. Sed  
 regis nullit  
 ne? nom pr  
 misticommo  
 scillimo legit  
 ulla etiam in  
 iam extemo

tumuis impedimentum notoriè constat. *60*  
*Porrò, de Diuort.* ) etiam quoad vinculum,  
 utpote inita contra Leges Ecclesiasticas, ir-  
 ritantes eiusmodi matrimonia, maximè si  
 S. Congregationis Declarationi, qua verbis  
 expressis ea irrita pronunciantur, strictè ve-  
 limus in hære. Quam ob causam P. Mar-  
 chant, *in Resolut. variorum cas. de Matr. casu*  
*8. Resp. 2. ad 1.* Matrimonium sine Parocho  
 contractum (vbi Decretum Conc. Trid.  
 legitimè fuit publicatum) in foro Ecclesiæ  
 simpliciter nullum esse dicit & consequen-  
 ter quæ ex eodem in foro Ecclesiæ conse-  
 quuntur. Dixi, ait, *in foro Ecclesiæ; quia in fo-*  
*ro Ciuili, seruatis legibus ciuilibus Prouincia in*  
*qua contrahitur, contractus ciuilis legitimus, &*  
*matrimonium ciuile est: vnde & Proles legitime*  
*consequuntur, vt hereditates & alia eos consequan-*  
*tur: Nec in foro ciuili separatio admittitur, nec*  
*seruata fide Matrimonij ciuilis creduntur pecca-*  
*re, si conscientia inuincibili credant se verum*  
*matrimonium iuxta leges licitas contraxisse. In*  
*casu enim illo, ad Ius Gentium velut redeunt.*  
 Hæc ille. Sed quid faciendū, si taliter con-  
 iugatis nullitas ipsius matrimonij innotes-  
 cat? num protinus separandi, cum tot ac  
 tantis incommodis, quæ superius audiui-  
 mus? Existimo igitur non propterea prorsus esse  
 nulla etiam in foro Ecclesiæ tam interno  
 quàm externo, quin possint salua conscien-  
 tia

tia simul matrimoniale vitam agere, & filij quoque pro legitimis haberi, & capaces etiam bonorum Ecclesiasticorum; Eo ferè modo, quo & Iudæis olim concessum erat vsuram ab alienis licitè accipere, Ægyptum spoliare, plures habere vxores, & libellum dare repudij ( quæ omnia cæteroqui repugnant luri naturæ ) ad euitanda maiora mala, peccata & scandala, atque in lege noua permissum fuerat Anglis carnes edere die Dominica Quadragesimæ, ne fortè peiores existerent, si à tali consuetudine prohiberentur. *Dist. 4. c. Denique.* Nisi quod in his expressa habeatur licentia, cū hæreticorum matrimonia per simplicem duntaxat tolerantiam valeant, ideoque & rescissionem admittant, quia per actum Principis consistentem in pati, & sic per actum negatiuum non inducitur dispensatio. vt tradit Tusch. V. *Tolerantia.* concl. 324. n. 7.

Ad 6. Resp. Barbosa in *Conc. Triad. Sess. 24. de Reform. c. 1. n. 171.* cum Aldano, validum fore Matrimonium absque præsentia Parochi ac testium, si quo ex loco, vbi promulgatum & acceptatum est, accedant in locum alium, vbi non est acceptatum, solùm animo contrahendi, si recessus à loco habitationis fiat ad euitanda impedimenta, puta inimicitias & obstacula parentum, secus autem si fiat per fraudem. Et sic fuisse

decisum

decisum  
tam  
fraudem  
sine hac  
ac testib  
lignu  
vtrque fr  
aut abso  
memini pat  
bis frans re  
sua lora vi  
detur hab  
De libero bo  
ueq; vt co  
ni ad fil  
pofitutum  
tus. Confe  
tus Hatad  
lic opinio  
noluit hanc  
ne à loco, d  
accipere pot  
in eadem P  
Concilij req  
nchi, prop  
es, vt patet  
Vob de Sac  
pnterach  
randa matrim  
ticia, vbi ne

decisum sub die 7. Febr. 1602. Mocquetius  
 tamen c. 6. n. 3. si qui, ait, adeant ea loca in  
 fraudem Tridentini, vt ibi liberè contrahant,  
 sine hac solennitate ( hoc est absque Parocho  
 ac testibus ) multi dicunt esse inualidum. Alij  
 distinguunt, si enim alter bona fide, valebit; si  
 vterque fraudulenter, non item. Sanch. d. 18. l.  
 3. ait absolute valere. Nam quod dicitur; fraus  
 nemini patrocinari debet. Verum id quidem, ac  
 hic fraus nulla. Nullus videtur dolo facere, què  
 suo iure vitur. Reg. 56. Dolo malo non vi-  
 detur habere, qui iure suo vitur l. 3. §. 2.  
 De libero homine exhibendo. aut si frausest, lici-  
 taest, vt eorum qui contrahunt in articulo mor-  
 tis ad filios legitimandos, & excludendum  
 substitutum: hi vitur iure suo. Ita Mocque-  
 tius. Consentit P. Mayer p. 2. s. 7. n. 68. ci-  
 tans Hatad. Sanch. & Con. Probabilitatem  
 huic opinioni confert, quod Concilium  
 noluit hanc legem obligare nisi dependen-  
 ter à loco, dum declarat eius obligationem  
 incipere post 30. dies à publicatione, facta  
 in eadem Parochia. Vnde ad intentionem  
 Concilij requirentis assistentiam proprij Pa-  
 rochi, propriè talis est, qui est Parochus lo-  
 ci, vt patet ex Rituali Romano sub Paulo  
 V. tit. de Sacram. Matr. his verbis: Est autè pro-  
 prius Parochus, qui adesse debet, is, in cuius Pa-  
 rochia matrimoniù celebratur, siue viri, siue mu-  
 lieris. vbi nempè Decretù illud Trid. viget,

ficubi verò in vsu nō est, sufficiet obseruasse loci consuetudinem. Ad Declarationes S. Congr. quæ tum hîc tum aliàs in oppositum emanarunt, præter communes Doctorum responsiones circa illarum validitatem, dici potest, si contra Ius commune præscribi potest, multò magis contra istas Declarationes. Vt vt sit (quod meliori iudicio remitto) negari non potest ad hoc saltem valere vt secùs facientes non solum grauitè puniantur, verum etiam taliter inita Matrimonia omninò cassari ac dissolui queant, maximè si fiant apud hæreticos. Possent autem tolerari ob alterius opinionis probabilitatem.

Ad 7. Resp. Matrimonium legitimè secundum loci, vbi contrahitur, leges & consuetudines in initum, siue ratum siue etiam cõsummatum sit, siue non, sed contractus merè ciuilib, validè tamen & absque impedimento dirimente celebratus dissolui nequit, cum quod Deus coniunxit, separare nullus hominum possit, extra duos casus, Primus est in matrimonio rato per ingressum Religionis vel dispensationem Pontificiam, iuxta dicta superius. Secundus est, propter conuersionem alterius coniugum ad Christianam fidem, c. si fialis, cum Can. seq. 26. q. 1. Et c. Quanto. c. Gaudemus. De Divort. Irritum igitur est & prorsus inuolidum

fidem.  
seu spec  
flamine  
coniugij  
es licen  
ytus co  
diment  
sententia  
trinsecan  
supra. 7.  
facta pro  
condum  
suo Præc  
nuptias c  
qui post  
parentum  
sunt ad  
ta fidem  
nile fecè  
Dysdano  
braco Lut  
venit dec  
Regij lan  
succellion  
ma, si facta  
tionè Po  
no nitebat  
quum Pat  
bonici, sed  
sali restit

*Hæreticorum.*

lidum, quicquid hîc attentent Ministelli,  
seu speciales seu superintendentes, vti suos  
flamines vocant hæretici, soluentes vnus  
coniugij vinculum, & ad alias nuptias dan-  
tes licentiam. Quodsi tamen matrimonium  
prius contractum fuerit cum impedimento  
dirimente, valebit Diuortium, non propter  
sententiam Iudicis incompetens, sed in-  
trinsecam illius inualiditatem. Mayer *vbi*  
*supra* n. 70. hoc extendit etiam ad diuortia  
facta propter impedimenta dirimentia se-  
cundum Patriæ cōsuetudinem, dicens cum  
suo Præceptore P. Simone Fœlice, valere  
nuptias coniugum in hæresi educatorum,  
qui post primas ob defectum consensûs  
parentum in suo consistorio rescissas tran-  
sierunt ad secundas, & postea hæresi eiura-  
ta fidem orthodoxam amplexi sunt. Si-  
mile ferè est, quod idem refert p. 2. n. 43. ex  
*Spondano &c.* Clerum Gallicanum in cele-  
brato Lutetiæ consueto quinquennali con-  
uentu declarasse matrimonia Principum  
Regij sanguinis, qui possunt aspirare ad  
successionē coronæ, nō esse valida & legiti-  
ma, si facta fuerint cōtra voluntatē & prohi-  
bitionē Possessoris coronæ, quia ea declara-  
tio nitebatur consuetudine Regni Galliæ,  
quam Patres ac Theologi, non solum Sor-  
bonici, sed aliorum etiam Ordinum, con-  
sulti testabantur esse rationabilem antiquā,

& legitima præscriptione firmatam & auctoritate Ecclesiæ comprobatam; multis nihilominus omnis generis hominibus aduersùm hæc non parum murmurantibus &c. iure merito, nisi tale impedimentum reuerà per Ecclesiam comprobatum sit, quæ sibi hoc reseruaui. Conc. Trid. *sess. 24. can. vii.*

Ad 8. Resp. Certum est ex dictis Episcopum non posse matrimonia inualidare, quæ clandestinè & sine Parocho ac testibus contracta sunt, vbi non fuit promulgatū Conc. Trid. ita vt matrimonia etiam post huiusmodi Decretorum publicationem alibi factam aliter contracta, si nullum obstat legitimum impedimentum valida ac firma sint. Coniuges proinde tales si Episcopali Decreto separati secundo contraxerunt, ad priora redire ac in illis permanere cogendos esse, & huiusmodi secunda matrimonia post publicationem & consumationem priorum contracta nullo modo, etiam prætextu cuiusuis grauis & eminentis scandali tolerari posse ac debere, docet cum Aldano Barbola in *Conc. Trid. sess. 24. de Reform. c. 1. n. 174.* referens ita decisum esse in *Russ. 18. Nou. & 2. Dec. 1628.* quod à fortiori dicet, si Coniuges eiusmodi per Ministros hæreticos facto diuortio alteri nupserint. Quod si contraxerunt in locis vel ex toto vel ex parte hæreticis, vbi Conc. Trid.

Trid. debite promulgatū est & obseruatum tempore sufficiēti ad firmandā legē, vel alio cū impedimento dirimente coniuncti sunt, posse coniugia talia rescindi ac dissolui liquet ex antedictis.

Postremum dubium resoluendum est per communem doctrinam de Contrahentibus cum ignorantia vincibili vel inuincibili dirimentis impedimenti. Si quando igitur duo Coniuges, matrimonio vel simplici vel duplici (quando nimirum facto per Ministros diuortio denuō cum altera, superstitute priori coniuge, contraxerunt) inualidē coniuncti, ad fidem Catholicam conuertuntur, agnoscunturque illo defectu teneri, considerandum est num vincibili & mortaliter culpabili, vel inuincibili teneantur ignorantia? si primum, Quamuis admonitio non sit profutura, & quodcunque scandalum vel incommodum sequatur, admonendi tamen sunt vt vel separentur, vel dispensationem procurent. Quando autem ignorantia laborant inuincibili iuris vel facti, & nullus speratur fructus ex admonitione, sed potius timetur scandalum vel notabilis infamia &c. relinqui possunt in bona fide, quia nulli debemus laqueum iniicere, sed quando nullus speratur fructus, iniicimus laqueum admonendo, qui enim non peccabant ratione ignorantia, peccabant posita admonitione,

uone,



tionem. Si autem speratur admonitio profutura sine graui scandalo vel detrimento, admonendi sunt, vt vel dispensatione petant, vel omnino separentur. Similiter si immineret periculum damni communis, admonendi sunt, etiam si nullus exinde speretur fructus, vt accidit, quando populus scit huiusmodi impedimentum & scandalum sumi, quia illa ignorantia est contra bonum commune ratione scandali, bonum autem commune preferendum est priuato. Si vnus tantum conuertatur, qui, quod alteri per diuortij sententiam ab hæretico Iudice permittatur, ipse similiter petat nouas inire nuptias, omnino prohibendus est, quousque probè constet Iudici Ecclesiastico inter illos legitimum non fuisse Matrimonium. Atque hoc demum vniuersim obseruandum est, nisi omnino sit occultum vt occurrente casu, desuper consulatur Iudex Ecclesiasticus, ad quem duntaxat eius cognitio spectat, sicut & in alijs rebus spiritualibus siue Ecclesiasticis c. 2. de Iudicijs. Et Conc. Trid. Sess. 24. can. vlt. vbi & anathema illis dicitur, qui negant causas Matrimoniales pertinere ad Iudices Ecclesiasticos, verum etiam omnes eius causas ex præscripto SS. Canonum decidi oportere. per text. in c. in.

de secund. nuptijs &c.